



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 165. Quid sit circa alimentationem conjugis notandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

- » finè justa causa diu absit. 7. Si cùm possit, alimenta
 » non procuret. *Fill. n. 140. & 141. Navar. c. 14. num. 19.*
 » *Tel. L. 5. c. 2. Sanch. L. 10. de Matr. Diss. 18. n. 16. Bon. L.*

A D D E N D A.

709 Q. 165. *Quid sit circa alimentationem Conjugii notandum.* R. *Seqq. §. 1. Vir tenetur alimenta præstare uxori, uti habetur L. Si cùm dotem. §. Sin autem ff. Solutio Matrimonio.* Per alimenta autem intelliguntur victus, vestitus, habitatio, lectus, medicina, aliâque ad vitam, item ad ludos & recreationes honestas necessaria, juxta personæ conditionem & qualitatem, ita *Gob. in Quin. T. 5. c. 24. n. 42. & c. 28. n. 12.* addens id intelligendum esse etiam de uxore, quæ dotem non attulit, si maritus scivit non habere dotem; imò *c. 24. n. 12.* docet cum *Covar. & Rodriq.* contra *Sanch. & Bonac.* teneri alere etiam indotatam quamvis ipsa sit dives, quia ducendo tacitè se ad hoc obligabat, cùm hic sit mos apud omnes: ex quo infert *Dicast.* hominem implicitum debitis, quibus solvendis est impar, peccare, si ducat uxorem indotatam, quia assumit in se novam obligationem contra Jus priorum creditorum, sed merito contradicit *Gob. n. 13.* alioqui etiam peccaret Pater qui cùm impar sit debitis solvendis, habet actum conjugalem, nam & hic novam assumit obligationem alendi prolem generandam. Quòd si dos sit marito promissa & non solvatur, non tenetur alere uxorem, quia non obligabat se ad alendum, nisi sub pacto dotis; si autem dos marito soluta calumpniè pereat, adhuc tenebitur vir alere uxorem, quia ipsa ex parte sua præstitit hoc, ad quod tenebatur, *Sanch. Bonac. Gobat c. 28. num. 5.*

710 §. 2. Si ob culpam mariti fiat divortium, adhuc tenetur uxorem alere, quia ab illa obligatione non liberatur per separationem ipsius culpæ debiti.

si tamen causa divortii cesset, & uxor renuat redire, maritus non tenebitur ulterius, quia ipsa tum est in culpa, *Gob. c. 39.* Statuit quoque Jus apud *Gob. c. 40. num. 5.* si divortium fiat propter adulterium mariti, ut uxor acquirat proprietatem dotis & omnium donatorum propter nuptias, saltem post sententiam Judicis.

§. 3. Si divortium fiat ob culpam solius uxoris, 711 maritus non tenetur eam alere, quia ipsa non fecit, quod debuit. *Nec refert, quod dotem attulerit: quia non obligavit se ad alimenta, nisi ipsa satisfaceret suo officio.*

§. 4. Si divortium sit factum ob utriusque culpam, 712 *Sanch. & Gob. c. 28. num. 13.* dicunt videndum esse, utrius culpa sit posterior, & putant virum si non peccaverit ultimus, habere Jus negandi alimenta; sed probabilius videtur maritum manere obligatum alere, quia culpa unius compensatur per culpam alterius, ergo Jura & obligationes manent æquales, uti antè: denique si divortium fiat sine culpa alterutrius, v. g. quia maritus cœpit esse leprosus, maritus, uti antè, tenetur uxorem alere.

§. 5. Si vir otio, lusu aut potu reddat se impotentem 713 ad alendam uxorem, peccat graviter: è contrà si vir se alere nequeat, tenetur eum alere uxor: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum vel uxorem viri participem fieri, inquit Lex si cum dotem. 22. §. 7. ff. Solutio Matrimonio. Videri potest Gobat in Exp. T. 10. n. 781.*

Q. 166. *An uxori adulteræ debeantur alimenta, 714 pars acquiritorum, restitutio dotis saltem per heredes, si maritus obiêrit. R. §. I. Vir certus de adulterio uxoris, in foro conscientia non tenetur ad alimenta, Castrop. de Spons. D. 3. P. 6. §. 5. Sanch. de Matr. L. 10. D. 8. n. 25, uti enim negare potest convictum, ita &*